Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1747

Quelle:
Copyright:

XVII. *fol.* 286. p. 2. *Epiſtola Origenis de excuſando ſe quod non dixerit dyabolum eſſe ſaluandum.* Initium: *Quidam eorum qui libenter habent criminari proximos ſuos attribuunt nobis et doctrine noſtre* &c. Verſio eſt *Rufini Aquilej.* de qua is in Libello *de Adulteratione Libror. Origenis*, et *Hieronymus Apolog. contra Rufinum* L. 2. et *Pet. Dan. Huetius Origenianor.* L. III. C. 3. *Sect.* 2. Ultima ſunt: *falſum teſtimonium vel dicens vel dicentibus accedens.*

CCCCXLIII.

940 941 Codex chartaceus lat. Sec. cum XVI. tum XV. Folior. 141. 8. non una manu conſcriptus exhibet, quae ſequuntur: I. Epiſtolam hujus initii: *Venceslaus Boemus Magiſtro Michaeli ſuo S. P. D. Nimis tu profecto, nimis et amore falleris, et iudicio, qui ea mihi tribuis, quae ego nec modo agnoſco, nec unquam forſitan praeſtare potero, leveque aeſtimas, ſi quid in latinis literis me olfacere putes, niſi et Atticam Minervam jam mihi arridere ut libenter, ita et facile credas.* Non illubenter et ego haec transſcribo, cum hominem prodant haud peregrinum in Latio, quales in ſtadio, quod decurro, raro admodum obvios habeo. Eſt vero is, ut conjicio, *Wenceslaus* a patria *Bohemiae* civitate dictus *Piſecky* ſive *Piſecenus*, quem prior *Bohemiae doctae Balbinianae* Editor etiam *Medek* ſeu *Mellitum* quidem adpellatum vult, ſed cum *Wenceslao Meliſſaeo* patria *Krteno* confundere videtur, de quo *Lupacius* ad diem 26. *Octobr.* Vide Cl. *Ungari* edit. *Balbini* P. II. p. 190. Noſtrum porro idem *Lupacius* in *Coron.* p. 9. *Sigism. Gelenii* domi et in *Italia* Praeceptorem, virumque in latinis, graecisque literis, id, quod et praeſens docet Epiſtola, bene eruditum vocat, et extare ab ipſo pure et eleganter ſcriptas, ſed nondum in lucem emiſſas *Epiſtolas*, tum et quaedam ex *Luciano* in latinum converſa teſtatur. Addam ego, fuiſſe etiam verſatum in Theologicis; ait enim prior *Balbini* Editor, in *Pragenſi* Ordinis ſui Eremitarum S. *Aug.* Diſcalc. Bibliotheca extitiſſe *Diſputationem* ejus *inter Magiſtrum et doctum Theologum Monachum de Communione utriusque Speciei*, quam ego eandem cum *Epiſtola* noſtra habeo. Nam perfunctus in ea *Wenceslaus* officioſis amicitiae formulis, commendatisque *Michaeli* ſuo, qui fortaſſe fuit *Michael de Strazie* Academiae *Prag.* Profeſſor publ. et *Karolinae* Domus incola, teſte *Lupacio*, 1512. 22. *Jan.* defunctus, graecis ſuis ad *Mathiam Chorambum* itidem Profeſſorem *Prag.* de quo *Lupacius* ad diem 2. *Jul.* literis narrationem ingreditur: *Vincentium Beroaldum* (erat is unicus ſuperſtes Patri *Philippo* ſen. *Beroaldo* noto *Bononienſium* Profeſſori, omniumque Septentrionalium, et vel maxime Juventutis *Bohemicae* amico

filius)